

T
IN IUTIONES
CAN LAE

EX1935
G5
1760
v.1
c.1



José Angel Benavides,

64564109

INSTITUTIONES CANONICÆ

REMIGII MASCHAT A S. ERASMO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM,
NOVISSIMIS PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS,

Summariis **DECRETALIUM** Omnium
CORRECTIONIBUS EX POSTERIORI JURE,
ET CONCILIO TRIDENTINO COLLECTIS,
*Bullarum ad ejusdem Concilii Decreta spectantium Compendio
aucta, & illustrata*

AB UBALDO GIRALDI a S. CAJETANO

EX IIISDEM SCHOLIS PIIS,
Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii
Ecclesiastici Rectore.

PARS PRIMA

*Institutiones Juris Civilis, Librum I. & II. Decreta-
lium complectens.*

110190



23551

FERRARIÆ MDCCLX.


SUMPTIBUS SOCIETATIS.

SED VENEUNT VENETIIS

APUD HÆREDES BALLEONIOS.

248

MONITA AD LECTOREM.

I.  Restantia hujus Operis in lucem editi Znoymæ in Germania anno MDCCCXXXV. quæ causa fuit, cur ipsomet Auctore vivente (Clarissimo Theologo, æque ac Canonista,) ne unum quidem exemplar publicè commodatè superferret, eadem me impulit, ut illud iterum typis darem. Cum vero animadverteterim, eam Auctoris fuisse mentem, ut Juris Canonici studiosis adjumento esset ad assequendum hujus theoriam non minus, quam forensis usum; ideo operæ pretium duxi aliquot addimenta annectere ex pluribus Apostolicis sanctionibus, ac sacrarum Congregationum Decretis posterius editis congesta, quæ ad utrumque finem assequendum faciliorem aperirent viam. Habes itaque, Lector, ante initium hujus primæ Partis addita a pag. 80. usque ad pag. 122.

II. Summaria omnium Decretalium in corpore totius Juris Canonici contentantur: ideo potissimum relata, ut cum non omnes, qui huic facultati student, Textum in promptu habere possint, universam, compendio saltem, notionem assequantur eorum, quæ in unaquaque earundem Decretalium statuuntur: quo certe fiet, ut horum summariorum aliquoties repetita lectione, facilius in iis sancita memoriæ mandentur. Qua de causa sub unoquoque Titulo Decretalium Gregorij Papæ IX. unita referuntur summaria capitulorum contentorum in Titulis, qui repetuntur in libro sexto Bonifacii VIII. Clementinis, & Extravagantibus, tum Joan. XXII. tum communibus.

III. Cum vero jus Decretalium in pluribus hodie immutatum sit, ne in earundem summariorum perlegendis quis decipiatur, additæ sunt notæ, quarum ope quid, & a contraria consuetudine, & a posterioribus Decretalibus, tum etiam a sacro Tridentino Concilio, summorumque Pontificum sanctionibus ad annum usque MDCCCLVI. statutum sit, indicatur.

IV. Immutationes autem leges tum in notis post summaria adjectis, tum in sex Elenchis in fine eorundem summariorum digestis: quorum,

I. Decretalium correctarum a posterioribus Decretalibus pag. 169.

II. Decretalium correctarum pag. 175.

III. Decretalium ampliarum pag. 185.

IV. Decretalium speciatim innovatarum pag. 189. } a sacro Concilio Tridentino,

V. Privilegiorum abrogatorum pag. 190.


VI. Apostolicarum Constitutionum, quæ accesserunt Decretis ejusdem Concilii, pag. 192.

V. Accedunt præterea quamplurima, & quidem novissima, sacrarum Congregationum Decreta, quaque universalis legis vim habent, tum in Elenchis, tum in corpore Operis suis adjecta locis, quorum quanta sit auctoritas pro peculiarium questionum decisione, ostendit Sanctissimus Dominus noster BENEDICTUS XIV. in Institutionibus ecclesiasticis latinæ editionis, *Instit.* 107. §. si quis de sacra Congregatione Concilii, quod pari modo dici potest de omnibus aliis sacris Congregationibus, ibi: *Primo, nam Scriptores de questionibus verba faciunt; illas autem sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, summi Pontifices sacrarum Congregationem ejusdem Synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset, qui contenderit, majoris ponderis habendum esse privatum hominem, qui sue tantum mentis lumine ducitur, quam sententia præclarissimi Cæsar, quem amplissimi Cardinales ecclesiastica discipline, & Sacrorum Canonum peritissimi constituunt. Quarto, quia privati Scriptores nullam indicare legem possunt: quæ sane auctoritas a summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesie disciplinam per universum orbem amplifcet.*

VII. Ne autem opponas, Lector, nullam his Decretis fidem adhibendam esse, propterea quod non constet de ipsorum evulgatione per authenticum testimonium manu Secretarii signatum, & sigillo Cardinalis Præfecti earundem Congregationum munitum, secundum Urbani VIII. Decretum sub die 2. Augusti an. 1641. consulto ea tantum adjecta sunt, quæ a probatissimis Auctoribus referuntur; quorum fidei nihil detrahit Urbani Decretum, cum dumtaxat locum habeat in causis contentiosis. Et quod spectat ad Decreta Congregationis Concilii, horum quamplurima relata sunt ab eodem BENEDICTO XIV. partim in laudatis Institutionibus, partim in tractatu de Synodo Diocesana editionis Rom. an. 1755. cujus quam numeris omnibus absoluta sit in his, sicuti & in ceteris facultatibus scientia, nemo ignorat: reliqua vero in *Thesavo Resolutionum* ejusdem Congregationis, quæ pro authenticis apud omnes habentur, cum typis data fuerit una cum causarum discussionum summariorum; & non nisi de approbatione Secretarii prædictæ Congregationis.

VIII. Videbis etiam in fine secundæ Partis duos alios Elenchos, quorum unus pravas, diversasque alias consuetudines, alter quamplures civiles leges a Decretalibus abrogatas enumerat.

IX. Tandem duos Indices, priorem Titulorum Juris Canonici, qui in dicta Parte explanantur, alphabetico ordine digestorum (contentos enim in hac prima reperies pag. 343.) posteriorem rerum omnium, quæ in utraque continentur.

X. Additiones extra corpus hujus Operis habes a pag. 77. usque ad pag. 211. quas vero in corpore leges, tibi indicabit hoc signum. 

XI. Quod si ex his, & Elenchis satis plenam notionem hodierni, receptique, quo vivimus, juris, haurire nequiveris (quod nos primum intendimus) pleniorē fortasse habebis in supplemento, quod me quamprimum, si Deus dederit, in lucem editurum confido: cum ceteroquin ob tantam legum varietatem vix cuiquam sit integrum omnia referre.

XII. Interim omnia hæc mea addimenta, & senta, si quid in iis pro humanæ mentis imbecillitate erratum sit, Salomonis monito edoctus *Proverbiolum* c. 3. neminem inniti debere prudentiæ suæ, quod repetitum lego a D. Hieronymo in *e. Ne imitaris* 5. de *Constitutionibus*, sanctæ Romanæ Sedis judicio humiliter, demissèque subijcio.

XIII. Specimen additamentorum jam habes. Si quid commodi ad tua studia derivare ex his posse videas, utere: sin minus, laborem hunc meum benigno excipias animo.

Bx1935
C75
1760
U. 1



BIBLIOTECA DE LA REAL ACADEMIA DE CIENCIAS EXACTAS, FISICAS Y NATURALES MADRID

EDUARDUS CORSINUS

A S. SILVESTRO

Cler. Reg. Scholarum Piarum Præpositus Generalis.

Quam Institutiones Juris Canonici a P. Remigio Maschat a S. Erasmo jampridem editas, & nuper a P. Ubaldo Giraldis a S. Cajetano recensitas, ac plurimis accessionibus auctas, & illustratas duo ex Theologis nostris accurate legerint, easque edi posse probaverint, ipsarum typis excudendarum facultatem concedimus.

Datum Romæ in ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem 8. Idus Martias 1757.

EDUARDUS CORSINUS A S. SILVESTRO
Præpositus Generalis.

Reg. fol. 120.

Stephanus Quadrius a S. Carolo Secretarius.

Institutiones Canonice Remigii Maschat a S. Erasmo Cl. Reg. Scholarum Piarum, novissimis Pontificum Decretis, Summariis &c. immenso labore, summaque diligentia, & ordine auctas, & illustratas a Reverendis, P. Ubaldo Giraldis a S. Cajetano ex iisdem Scholis Pii, Apostolico Romani Cleri Examinatore, & Collegii Ecclesiastici in Urbe Rectore, jussu Reverendis. Patris Joseph Augustini Orsi, Sacri Palatii Apostolici Magistris atrente perlegi, nihilque in iis reperi, quod catholice Religioni, Sacris Canonibus, profubique moribus adverteretur; imo omnia plaustu, & commendatione omnino digna visa sunt: præcipue cum Jus commune novum prædictis additamentis plurimum illustratur. Ideoque censeo, optimum esse, ut Opus hoc ad communi omnium, & singulariter causas ecclesiasticas pertractantium utilitatem, maximumque pontificio juri operam navantium emolumentum, in lucem typis edatur.

Ex Monasterio S. Calisti die 15. Februarii 1757.

D. Michael Franciscus Benaglio Prior Cassinensis,
& in Collegio S. Anselmi SS. Canonum Lector.

Jussu Reverendis. Patris Sac. Palatii Apostolici Magistri perlegi Opus inscriptum *Institutiones Canonice Remigii Maschat a S. Erasmo Cl. Reg. Scholarum Piarum Theologo*, jampridem in Germania impressum, & in duo volumina tributum; nuper autem additamentis locupletatum a Reverendis. Patre Ubaldo Giraldis a S. Cajetano ex iisdem scholis, Sacrorum Canonum professore, & Cleri in Urbe Examinatore Apostolico: qui cum videret in eodem Opere non paucas Pontificum Constitutiones, & pleraque sacrarum Congregationum responsa desiderari, eaque variis dispersa locis, & in magnis voluminibus comprehensa non esse ita facile cuivis pervia, pro sua Canonum perita, non sine ingenti labore collecta, miraque claritate in compendium redacta hic exhibet in commune commodum, suis quæque titulis intertexta. Accedunt ejusdem opera & alia quamplurimæ observationes in sex Elenchos digestæ, quæ non minus eruditæ sunt, quam necessarie ad pernoſcendum in hac tanta varietate Canonum Jus novum, quotidianum, & in foro receptum: ut jure hoc Opus ita illustratum, & auctum, existimandum sit ecclesiasticarum Constitutionum, earumque recentium, uberrimum quasi quoddam promptuarium: de quo mihi pluribus dicendum esset, si res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Quamobrem, cum nihil contineat, quod catholice Fidei, vel Bonis moribus adverteretur; plane censeo, utilissimum Opus esse iterum luce publica donandum una cum præclaris accessionibus. Romæ decimo Kal. Martii MDCCCLVII.

Albertus Cherosinus Sacerdos Oratorii
S. Hieronymi Caritatis.

Opus, cui titulus est *Institutiones Canonice P. Remigii Maschat a S. Erasmo Scholarum Piarum* in Germania olim editum, nunc autem cum additionibus Reverendis. P. Ubaldis Giraldis a S. Cajetano ejusdem Congregationis iterum imprimendum, ut Reverendis. P. Sacri Apostolici Palatii Magistris mandatis obtemperarem, summa animi jucunditate atente perlegi: illud enim omnibus Juris Canonici studiosis erit gratissimum; cum additionibus vero necessarium: nam in evolvendis Gregorii IX. Decretalibus quilibet hæreat oportet, ignorans, an eodem jure adhuc vivamus, vel potius aliqua superacceserit Constitutio, ob quam jus antiquum sit innovatum. At quicquid a S. Concilio Tridentino, aut a summis Pontificibus de novo statutum fuit, ex hisce additionibus, improbo labore, ac summo studio collectis, & suis locis optime dispositis, statim intelliger. Cum itaque nihil in eodem Opere, nec in additionibus, quod puritati catholice Fidei, aut bonis moribus adverteretur, notari valeat, propterea ad publicam utilitatem prælo committi posse censeo, si ita Paternitati suæ Reverendis. videatur. Ex ædibus meis pridie Kal. Martii anno 1757.

Cosmus Torretti Academia Theologica
Censor, & Eminentiſſi. ac Reverendiſſi. D. Card. Tamburini Auditor

LI.



PRÆCURSUS JURIS CANONICI SEU INSTITUTIONES CIVICO-CANONICÆ.

In hoc Præcurſu ſequar Ordinem Institutionum Imperialium; utpote captivi Diſcipulorum magis accommodum; ita tamen, ut omittam ea, quæ in curſu Juris Canonici ſuis tradidi titulis: ea vero ex Digestis ſuppleam, quæ in Institutionibus deſiderantur ad noticiam Canonica.

LIBER PRIMUS

De Perſonis.

Perſonæ, tanquam objectum materiale præſtantius, primum locum ſibi vendicant in hoc libro: Res, & Actiones in tribus poſterioribus pertractantur. Antequam vero ad Perſonas accedamus, oportet hic in 1. & 2. titulo Prolegomenis Juris inſiſtere.

TITULUS I

De Juſtitia, & Jure.



AGTUR de hac materia in Pandectis lib. 2. tit. 1. & 2. In Codice lib. 1. tit. 17. per tres Constitutiones.

1. Nota ex *l. pen. & ult. ff. h. t.* Jus pluribus modis dicitur: 1. pro regula, seu præcepto communi, uti est Jus naturale, Gentium, Civile, Honorarium, Canonicum. 2. Pro sententia judiciali, sicut Prætor jus reddere dicitur. 3. Pro loco, seu tribunali, in quo jus dicitur. 4. Pro necessitudine, seu conjunctione, uti est jus cognationis, amicitatis, amicitie. 5. Pro arte, seu disciplina Juris, quo sensu aliquis dicitur Professor, vel auditor Juris. 6. Pro ipso volumine Jurium. 7. Pro facultate aliquid disponendi, quo sensu dicitur aliquis jure suo uti, habere jus persequendi quod sibi debetur &c. 8. Pro jure passivo, seu equo, quo sensu Justitia dicitur cuique jus suum. Ceteræ acceptiones Juris in decursu hujus scientiæ videbuntur.

2. Ex his colliges, præsentem Rubricam de *Juſtitia, & Jure*, bene esse conceptam: nam in ea Jus accipitur pro arte, seu scientia Jurium, quo sensu Jus est posterius Justitia, tanquam suo objecto: atque ita, si non grammaticæ, saltem Juridicæ est derivatum, & appellatum à Justitia *l. 1. pr. ff. h. t. & can. 2. d. 1.* ibi: *Jus autem est dictum, quia justum est.* At si Jus accipitur pro æquo, seu jure passivo, est prius Justitia, utpote ejus objectum, quo sensu Justitia est nomen derivatum à Jure; & ita Theologi bene inferunt suum Tractatum: *De Jure, & Juſtitia.* Omittis *P. Remigii a S. Erasmo.* Pars I.

aliis acceptionibus agam *h. t. 1.* De Jure accepto pro Volumine Jurium, quia Studium Juris ante omnia scire oportet, quales libros ad discendum habeat. 2. De Jure accepto pro Jurisprudentiæ. 3. De Jure accepto pro præcepto communi agatur *titulo seq.*

§. I.

De Voluminibus Juris Romani.

3. *Q. I. Quid, & quomplex sit Corpus Juris Civilitis?* R. ad 1. Corpus Juris Civ. est volumen, in quo leges seu Jura condita continentur, sicut anima in corpore. R. ad 2. Præcipua Volumina Juris Romani sunt seq. 1. *Papirianum* à Sexto Papirio Jurisconsulto compilatum circa tempora Tarquinii Superbi, in quo leges Curiate, quas dedit Romulus Populo Romano in 30. Curias diviso, atque leges regie à Numa Pompilio, & subsequentibus Regibus ita continerentur. 2. *Leges XII. Tabularum* præca latinitate conscriptæ, quas Cic. *lib. 1. de Orat.* omnibus Philosophorum bibliothecis antepont. Leges istas à Græcia attulerunt delecti ad hoc Decemviri, quas decem tabulis eboris, vel æreis incidierunt, quæ duas alias addentes, recerunt *Leges XII. Tabularum.* Extant earum fragmenta in nonnullis exemplaribus Juris Civilis, textuales facile dignoscuntur ex præcis vocabulis, ut *familia heredis, communis dividundo* &c. 3. *Edictum Perpetuum*, quod tandem mandato Adriani Imp. Salvius Julianus Jurisconsultus ex variis Magistratum Edictis compilavit, illudque suis Commentariis illustravit Papinianus, Paulus, Ulpianus, & alii Jurisconsulti. 4. *Codex Gregorianus, & Hermogenianus*, in quem Gregorius, & Hermogenes Jurisconsulti privata auctoritate transferunt Constitutiones Principum